



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum I. Insinuatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

cedit, sufficiens præsumptio fraudis est, prout hic notavit *Francus n. 12. argum. L. dolus 10. Cod. de resindenda venditione.* Ubi habetur, quod dolus emptoris qua-

litate facti, non quantitate pretij æstimatur. ubi *Gl. marginalis.* dolus in venditione interveniente probatur ex verbis, & actibus.

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

Poste aquam de contractibus, quibus rerum dominium directum transfertur, in præcedentibus titulis actum fuit, subjungitur nunc de Feudo, siquidem per contractum feudalem transfertur dominium vnde, seu jus utilitatis; quare inter species alienationis prohibita Feudum numeratur, scuti & emphyteusis.

CAPITULUM I.

Insinuatione.

PARAPHRASIS.

Ecclesia Cathedralis Mariensis eidam M. villam, seu possessiones quasdam conseruat in Feudum. Postea idem M. ab Episcopo Mariensi pecunias mutuas accepit, & dictam villam, seu possessiones pignoris nomine obligavit. Hoc in talu aut Innoc. III. quod Episcopus fru-
dus ex villa perceptos in sortem compari non teneat, dummodo interea temporis, quo fructus Ecclesia percipit, dictus M. à servitio, ratione Feudi, Ecclesia præstante immunis sit.

SUMMARIUM.

Obtenditur, casum hujus Capituli esse specialis.

Notandum. Casus iste specialis est, in quo creditor ex pignore perceptos fructus in sortem compari non tenet, si videlicet domino directo Feudum pignoris nomine obligatum sit. Ita etiam habetur in

c. conquestus 8. de usuris. &c docui lib. 3. tra. 4. c. 16. n. 20. ubi rationem attuli: quia indecens videtur, ut ipsemet dominus directus ex re propria penes ipsum ex voluntate alterius partis, videlicet debitoris, existente, acceptos fructus non lucretur, sed alij tradere teneatur. Quare ita judicandum, quod interim, dum feudum pignoris loco domino traditur, Feudi contractus cef- set, & consequenter etiam Vasallus à servizio, aut pensione interea liber esse debeat.

CAPITULUM II.

Ex parte.

PARAPHRASIS.

Archiepiscopus Mediolanensis tria quæsivit ex Innoc. III. Primum, si contingat, Vasallum lux Ecclesie mori, ita, ut Feudum ad Ecclesiam, & Archiepiscopum revertatur, num licet alterum infundare non obstante juramento, quo Archiepiscopus obstrictus est non infundandi de novo, inconsulto Papâ. Alterum, si Vasallus Ecclesia Feudum alienarit, num de eo ipius filium, aut consanguineum ejusdem Feudi consortem investire possit. Tertium, si Feudum alienatum sit, quod Ecclesia, seu Archiepiscopus facile recuperare non possit, an licitum sit aliqui Laico, idem Feudum de novo concedere hac conditione, ut malè alienatum recuperet, & ab Ecclesia recognoscatur. Ad omnia hæc quæsita responderet Pontifex affirmando.